

De 1075









DE
NOMINIBVS
ET
COGNOMINIBVS DEI
NONNVLLIS ARABICIS
COMMENTATIO

QVA
VIRO
CLARISSIMO DOCTISSIMOQVE
IO. GEORGIO FRIDERICO
FRANZIO

LIPSIENSI
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
IN ACADEMIA LIPSIENSI

CALEND. MART. A. C. MDCCCLVIII
RITE COLLATOS

GRATVLATVR

SOCIETAS AMICORVM QVORVNDAM

INTERPRETE ET AVCTORE

IOANNE CHRISTIANO KRUGERO

A. M. ET AD D. PAVLLI AEDEM CONC. VESPERT

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA



DE
NOMINIBVS
ET
COGNOMINIBVS DEI
NONNVLIS ARABICIS
COMMENTATIO

AVO
VIRO
CLARISSIMO DOCTISSIMOQVE

BIBLIOTHEK
der
Deutschen
Morgenländischen
Gesellschaft.

Aus
GILDEMEISTER'S
Vermächtniss.

IO. GEORGIUS
SVMOS IN ROSORUM HONORES
IN ACADEMIA LIPSIENTI
CALEND. MART. A. C. clxxxviii
RITHE COLLAGIO
GRATVATVRY
SOCIETAS AMICORVM QVORVNDAM
INTERPRETE ET AVCTORI
IOANNI CHRISTIANO KRYGERO
A M. ET D. PAVLE NICH. COLLEGE
L. P. S. I. A. E.
EX OFFICINA LANTHEMIA





Eo die, quo TIBI, VIR CLARISSIME, AMICE AESTIMATISSIME, praemia eruditionis TVAE haud vulgaris Amplissimus Sapientum Lipsiensium Ordo tribuit, hos in TE collatos summos in Philosophia honores TIBI nos gratulari Societatis nostrae leges iubent. Quae prouincia quum mihi data sit, magnam percepi exinde voluptatem. Vt autem eo maius amicitiae nostrae erga TE exstaret documentum, non, quod vulgo solet, carmen, sed Schediasma aliquod scribere institui. Quum igitur meditarer, de quo in eo agerem, fortuito in librum quendam manu exaratum, qui *precandi formulas Arabicas* continet, et quem ipse possideo, incidi. Peruolui eum, ibique precationem aliquam, cui titulus est *اسماء الحسنی دعا* *precatio nominum Dei pulcherrimorum*, deprehendi, quae et in aliis eiusmodi libellis exstabat a Viro Celeb. J. G. BOSSECKIO, Hebr. linguae in hac Acad. Prof. pro Sua humanitate et in me fauore mecum communicatis. Nominum quidem Dei horum et cognominum, quibus potissimum lingua Arab. abundat, tanta est multitudo, vt, si omnia, quae in Corano, precibus Muhammedicis et alibi reperiuntur, pertractari eorumque vis et potestas ostendi deberet, liber singularis haud ita paruae molis esset conscribendus. Sed Arabes ipsi ex iis nomina nouem et nonaginta elegerunt, quibus prae ceteris magnam vim et sanctitatem attribuunt, easque preces, quae ea omnia comprehendunt, et quarum titulus ea prae se fert, magni aestimare solent. Vocant ea *الاسماء الحسنی* *nomina Dei pulcherrima* s. *praestantissima*, eorumque mentio fit in Corano, (a) Sur. VII, 181. A 2 XVII,

(a) Semel monere non superuacaneum duco, me in citandis versiculis Coranicis sequutum esse editionem Marraccianam,

XVII, 109. XX, 8. LVIII, 24. Rationem huius appellationis recte explicat BEIDAVIUS ^(b) in *Comment. ad Sur. XX, 8*: فضل اسماء الله تعالى علي ساير الاسماء في الحسن لدلائلها علي معان هي اشرف المعاني وافضلها Praefert (Muhammed) nomina haec Dei supremi ceteris nominibus respectu pulchritudinis, quia indicant eiusmodi notationes, quae omnium excellentissimae sunt et praestantissimae. Eodem fere ordine, quo ea in formulis precandi Arabum reperi, LVD. MARRACIUS in *not. ad Sur. XVII, 109*. p. 414. recenset, addens, centesimum adhuc esse, illud autem Moslemos non pronunciare, vnde putat, esse ineffabile nomen ۞۞۞. Errat vero HENNINGIUS HENNINGII, qui *Sleswigae A. CIOIC LXVI* librum precationum Muhammedicarum sub titulo *Muhammedani precantis* edidit, et in precatione huius libri VIII nomina haec LXXXVIII reperi existimauit. Nam ibi quidem nomina Dei exstant permulta, sed non omnia ea, quae Arabes *praestantiora* appellant. Ipse etiam *Henningius* ea nomina, quae in precibus a se editis occurrunt, non ita illustrauit, vti optauit. Vim quidem atque ἐνέργειαν eorum sensisse videtur, sed lectori Arabicae linguae gnaro eam reliquit inuestigandam. Apud animum itaque constitui, de nominibus hisce, quae *praestantiora* dicuntur, ita agere, vt eorum vim et emphasin pro virili ostendam, dataque occasione locis quibusdam Scripturae S. ex lingua arab. lucem affundere studeam. Neque TIBI, CLARISSIME VIR, hoc ingratum fore iudicauit, quum et Ipse diligenter Theologiae nauaueris operam, et TE litterarum orientalium, quarum scientia verus Theologus nequit carere, sciam esse amantissimum. Animus quidem erat, ea omnia pertractare, sed materia dicendorum ita crescebat, vt cogerer, hic loci modo quaedam eligere, et cetera alio tempore illustranda reseruare. Qui delectus mihi ita fuit difficilis, vt fere nescirem, quaenam aliis praeferrerem. Ordinem enim, quo *Muhammedani* in iis recitandis vti solent, nolui retinere,

(b) Commentarium hunc litteralem, quem *Nasereddin Abu Said Abdallah Ibn Omar ALBEIDAVI* in *Coranum* fecit, in ipso Oriente descriptum, possidet et mihi vsurpandum concessit Celeb. I. I. REISKIUS, Lingu. Arab. in hac Acad. Professor, quem ob summam Eius et raram litterarum Arabicarum scientiam in his litteris praeceptorem habuisse vehementer laetor, cuius in me instruendo, ornando iuuandoque studium non possum non cum gratissimae mentis testificatione hoc loco publice celebrare, cuiusque singularis in me fauoris memoriam nulla vnquam delebit obliuio.

finere, quia nonnulla, quae idem notant, et non nisi connotatis inter se differunt, simul esse pensitanda existimaui. Tandem sequentia placuerunt.

Primo loco duo collocabo, quae VNITATEM DEI exprimunt: **هو الله الذي لا اله الا هو** *ille Deus, praeter quem nullus est Deus*, et **الواحد** *vnus, vnicus*. Prius ex multis iis Corani locis desumptum est, vbi verba exstant **لا اله الا هو** *non est Deus praeter illum*, I. **لا اله الا الله** *non est Deus praeter Deum*, scil. verum. Vox **الله**, quae alias in genere *Deum* significat, vi Articuli ad *verum Deum* restringitur, ita vt inter Arabes nefas sit, eam cum Articulo de falso quodam Deo pronunciare. Eadem ratione vox *hebr.* **אלהים**, si ea *Deus verus*, oppositus falsis Diis, notandus est, ה articuli habet, e. g. Deut. III, 35. 39. 2 Reg. XVIII, 15. coll. Ies. XXXVII, 16. Ex eo autem, quod Arabes, quum tamen in precibus Deum alloquantur, pronomine tertiae personae **هو** *ille*, vtantur, facile perspicitur, quomodo in iisdem precationibus saepissime pronomen istud simpliciter de Deo adhibere possint. Sic enim ibi quoque ad Deum orant, **يا هو** *o ille*, I. **يا من هو** *o tu, qui es ille*, scil. vnicus ille Deus; idque nomen ipsis tam mirifice placet, vt multis in precibus (quales ipse inter formulas eorum precandi inueni) trecenties trigesies ter vna ferie repetant, eique statim nomen diuinum **الله** totidem repetitum adiungant. Sic et *Rabbini*, et inprimis *Cabbalistici*, Deum **יהוה** *illum*, appellare solent, forte imitando ea Scripturae S. loca, vbi Deus se ipsum **יהוה** *illum verum Deum*, Ies. XXXXIII, 10. appellat. **واحد** *vnus* notat, et quoque *singularem, praecipuum, insignem, excellentem*; quae duae notiones inter se maxime conueniunt, quia ille, qui eminet, quasi vnus in aliqua re, ita vt nemo ipsi similis sit, dici potest. Sic quoque Lat. *vnus* et *vnicus* saepenumero adhiberi solet. Hinc et Arabes virum, qui excellit inter alios, vocant **واحد** *vnicum seculi sui*, i. e. valde incomparabilem, et, vt GIEVHARIYS in *Compendio Lexici Arabico-Turcici* (c) interpretatur, **لا نظير له** *cui nemo similis est*. Hinc illud, vt et **احد**, **وحيد** et **وحيد** (d), quae omnia idem significant, non solum

A 3

in Cora-

(c) Laudauit illud Amicus meus M. I. F. REHKOPF, in *Vit. Patriarch. Alexandr. Specim. 1*, nuperrime edito, not. 10. p. 9.

(d) Huic **وحيد** responderet *hebr.* **יחיד** *vnicus*, quod LXX vertunt Gen. XXII,

in Corano, verum etiam in precibus Muhammedicis frequentissime de Deo occurrit. Verum itaque quidem est, Deum vnum esse (vti et phrasis, non esse Deum praeter Deum, in Sacris litteris occurrit, v. g. Ies. XXXXIII, 6. etc. ipseque Deus יהוה dicitur, Deut. VI, 4.), sed ea veritate ex falsa sua opinione, vnum quidem Deum, sed non trinum esse, abutuntur Moslemi, imprimis contra Christianos, v. g. Sur. III, 169. V, 32. VI, 101. XXIII, 93. Muhammedani in vnitatem Dei hac celebranda in precibus suis praecipue Sura CXII vtuntur, quam et totam nummis inscribunt, vti M. G. I. KEHRIVS, in *Monarch. Asiae. Sarac. Statu*, §. XXVIII, p. 20. nummum eiusmodi, ordine decimum, descripsit. Vocant quoque Arabes precantes Deum $\text{يا هو لا اله الا الله}$ o ille vnice, cui nemo similis est, et formulae solenni لا اله الا الله non est Deus nisi verus Deus, nonnunquam addunt واحد ايتنه et vna eius solum est persona. Hinc porro, quia hoc de vnitatem Dei dogma hoc sensu acceptum Moslemorum praecipuum ceterorumque caput est, symbolum solenne, quod fere vbiuis in ore habent, ortum fuit: $\text{لا اله الا الله محمد رسول الله}$ non est Deus nisi verus Deus, Muhammed est legatus Dei; quod qui ex Christianis aut Iudaeis coram Moslemo aliquo pronunciat, aut Moslemus fieri cogitur, aut capite plectitur. Nummi Arabici imprimis formulam hanc inscriptam praefecerunt, v. KEHRIVM l. c. p. 7. Christianos autem nomine quodam duplici Muhammed in Corano suo insigniuit. Appellat eos frequentissime المشركون associantes, et الكافرون abnegantes. Verbum شرك proprie notat: loris aliquid alligare alteri (vnde arab. شراك , hebr. שרר corrigia, quae pedibus alligatur). In Coni. III, vbi eadem obtinet significatio, porro denotat: Deo quasi aliud quid loris alligare, h. e. Deo alios Deos adiungere, idololatram esse. Christiani igitur المشركون nominantur, qui Deo alios (Filium et Spiritum S.) quasi alligent et associant, eoque ipso idololatrae sint. Radix كفر proprie est obtexit, hinc pice obleuit faciem, et oculos obtexit manibus, ne viderent; deinde, non credidit in Deum, q. d. obuelavit oculos, ne attributa et opera Dei perspicerent eumque agnoscerent, aut

2. 12. per ἀγαπητός pro μονογενής , eoque bene vim huius verbi secundariam expriment; vnicus enim et vnigenitus maiori inter alios amore diliguntur. Hinc in N. T. ἀγαπητός Matth. III, 17. Marc. I, 11. hebraico יהוה responderet et sic explicandum est. v. Summe Rev. D. I. A. ERNESTI Prolus. de Difficult. N. T. recte interpret. p. XIII.

aut attributa et opera Dei ipsa velamine obtexit, ne intelligerentur. Hinc الكافرون sunt *infideles*, qui in Deum non credunt, et attributa atque opera eius nolunt agnoscere. Eodem nomine Iudaei nos vocant כופרים, a quibus sine dubio Muhammed dogma suum de vnitate Dei didicit, quippe qui quoque multa contra nos de Dei vnitatem hoc sensu assumpta proferunt, et ad hoc ipso dicto Deut. VI, 4. abutuntur.

Ad alia pergam, quae attributum OMNIPOTENTIAE DEI inprimis designant. Primum esto magnificum illud nomen الملك *Rex*. Radix ملك proprie notat *possedit*, hinc de rege *regnauit* (vnde Chald. et Syr. *consuluit*), et de marito, *uxorem duxit*. Hinc ملك, ملك, ملك et ملك proprie quidem eum denotat, *qui alicuius rei compos est eamque possidet*, sed vnice tantum et quasi κατ' ἐξοχήν de Rege, cuius imperio et potestati subiecti sunt incolae alicuius regionis, vsurpatur. Simpliciter et Articulo munitum de Deo dicitur, et in Corano precibusque Moslemicis frequentissime reperitur, nonnunquam tamen cum alio nomine. Sic v. g. Sur. III, 26. ملك ملك *Rex regni*, Sur. LXXXIII, 2. ملك الناس *Rex hominum*, Sur. LIII, 55. ملك مقتدر *Rex potentissimus*, vocatur, et Sur. II, 107. LVII, 2. et alibi, eius esse regnum caelorum et terrae affirmatur. Idem in libris V. T. traditur, vbi Deus מלך dicitur, qua appellatione tamen potissimum respicitur ad Messiam.

Alio nomine Deus appellatur العزيز *potens*. Radix عز notat: *magnus, nobilis et in honore fuit, gloria polluit*, vti GIEVHARIUS, contrarium esse تذل vilis, *inglorius et contemptus fuit*, in Lexico annotat. A significatione *pollendi gloria* denique ad quamcunque *potentiam* translatus fuit. Significat itaque العزيز nostrum tum *magnam, eximiam et gloria pollentem, tum potentem*. Connexio igitur, vbi exstat (in Corano autem saepius exstat), bene attendenda est, et ex ea colligendum, utram habeat significationem. In ordine nominum istorum praestantiorum, vbi cum الجبار, de quo post dicemus, coniungitur, *potentem ac victorem* indicat. Hebr. עזב Psalm. XXIII, 8. et Ies. XXXIII, 17. ob textus σνδύθειον notionem *robusti ac potentis* habet. Chaldaei autem suum עזב et Syri جبار quoque de *viro dignitate praedito* adhibent. Porro Arabes etiam verbum ipsum, ceu nomen diuinum, vsurpare solent, vbi subaudiendum est الذي, *Deus*, qui *gloria pollet*, s. gloriosus, laudabilis. Sic e. g. in Compendio GIEVHARII iam laudato, vbi dictum Coranicum allegatur, saepe vsurpatur formula:

VIII

formula: *قال الله تعالى عز وجل وعلا* dixit Deus supremus, gloriosus, laudabilis altissimusque. Cetera nomina h. l. de Deo adhibita infra commemorabimus. Obseruamus modo, quod verbum عز hic loci non significatum *potentis*, sed *gloriosi* ob aliorum eiusmodi nominum copulationem habere possit. A verbo hoc deriuatur nomen عزة, quod *gloriam* atque *laudem*, et denique *potentiam* denotat. Hinc hebr. עז in quibusdam locis SSrae lucem accipit, e. g. Psalm. VIII, 3. וסרת עז, vbi LXX recte vertunt: κατηγετίσω αἶνον, quae verba et Matthaeus C. XXI, 16. retinet; ibi enim non *potentiam*, sed *laudem* et *gloriam* designat. Patet et hoc ex iis locis, vbi cum ככור, e. g. Pf. XXVIII, 1. LXXXXVI, 7. et vbi cum זמרה coniungitur, e. g. Exod. XV, 2. Ies. XII, 2. Pf. CXVIII, 14.

Huic nomini in ordine suo addunt Moslemi nomen الجبار *omnipotens*. جبر proprie notat: *firmus, robustus ac solidus fuit* (germ. *stark und steif seyn*), vnde *de osse fracto, quod firmatur et consolidatur*, et Coni. V. *de superbo et arrogante homine, qui insolentia inflatus elate incedit*, vsurpari solet. جبار itaque *firmum, robustum ac solidum* designat, contra quem nemo aliquid efficere potest, aut insurgere audet. Sic adhibetur de gigante et forti, et de Deo ita dicitur, vt eum *omnipotentem et summi imperii dominum* describat. In SSra pariter Deus nominatur נכור Ier. XX, 11. Deut. X, 17. et Christus Ies. VIII, 5. Pf. XXVIII, 8. Monere h. l. mihi liceat, nomen hoc arab. quoque *superbum* significare, quo sensu et hebr. Psalm. LII, 3. sumi debet.

Aliud nomen, quod cum praecedente fere eiusdem est significationis, est الغهار. Radix قهر notionem gaudet *vincendi et subiugandi*, vnde قاهر, quod et de Deo Sur. VI, 18. *victorem* notat. Significationem hanc intendit forma augment. الغهار, quod itaque non simpliciter *omnipotentem*, sed potius *victorem omnipotentem*, qui omnes suos hostes sibi subiicere valet, designat. In Corano semper cum الواحد coniungitur, e. g. Sur. XXXX, 17. et alibi.

Neque his solum, sed alio etiam nomine *potentiam Dei* exprimunt Arabes. Est illud القوي, quod ad eum refertur, qui *robore, virtute ac potentia pollet*. Prima notio radicis قوي est *complicare, contorquere, intendere* (hinc hebr. קר funiculus); vnde et, quia robustus et potens vires corporis intendit, notatio oritur *roboris ac potentiae*. Eadem ratione nomen قوي proprie de *torto fune* vsurpatur, et denique ad *virum*

ad *virum corpore validum ac robustum* transfertur. Simpliciter et cum artic. **ا** de Deo, tanquam *potentissimo ac validissimo*, adhibetur.

Ad ea progredior nomina, quae de DEO CREATORE dicuntur. Primum est الخالق. Verbum خلق, vnde descendit, (vti hebr. חָלַק) primarie notat: *laevis et glaber fuit, laeuigauit et aequabilem reddidit*; hinc *formauit, creauit*, quia res formanda et creanda quasi laeuigatur et aequabilis redditur. Transfertur quoque notio haec prima ad deriuatas alias, e. g. *leni sermone vtendi et blandiendi, et fingendi mendacia* (qua posteriori significatione etiam hebr. Hof. X, 2. חָלַק לְבָבָם *fingit mendacia cor eorum*, accipiendum esse censeo). Deriuatur porro ab hac rad. nomen خلاق (hebr. חָלַק), quod proprie *laeuem lapillum*, cuiusmodi lapillis in sortiendo et distribuendo veteres vtebantur, notat, vnde notio secundaria *sorte diuidendi*, qua hebr. gaudet, fluxit. خالق primarie quemcunque designat, *qui aliquid laeuigando fingit et format*, sed cum articulo *كَلِمَاتٍ* *Deum creatorem*. Ita Sur. VI, 102. خالق كل شيء *creator omnis rei*, Sur. XXIII, 14. احسن الخالقين *pulcherrimus s. praestantissimus formantium*, et saepius in formulis precandi خالق كل مخلوق *creator omnium creaturarum* vocatur. Appellatur quoque الخلاق, quae forma augmentat. est, intenditque significationem: *bene creans formansque*.

Secundum nomen est الباري. GIEVHARIUS radicem بَرَّ vlt. Hamz. per خلق explicat. Prima notione similiter est *polire, laeuigare*, vnde ad *creationem* translata fuit. Occurrit nomen hoc diuinum Sur. II, 53. LVIII, 24. In versione autem Bibliorum arab. Gen. I, 1. pro hebr. בָּרָא vsurpatur خلق. In Carmine AL BORDAH dicto (°), v. 41. Deus باري النسم *creator spirituum s. animarum* appellatur, quocum Num. XVI, 22. *אלהי הרוחות לכל בשר* conferri potest. Ex primaria huius rad. significatione *laeuigandi* optime deriuari potest quoque altera, *liber et immunis fuit*, qui quasi, vti res politae, sine macula et vitio est; nec non hebr. בָּרִיא *pinguis*, cuius caro et cutis ob pinguedinem laevis et glabra apparet.

Sequitur

- (e) Celeb. REISKIUS carmen istud elegantissimum ex duplici exemplari MS. Biblioth. Dresd. Reg. descripsit, et cum Amico nostro, M. I. F. REHKOPF (qui etiam l. c. not. 29. p. 15. allegauit) et mecum liberalissime communicauit.

B

Sequitur *tertium* المصوم. Verbi *صام* prima potestas est in *arctando* et *colligando* (quae frequentior in hebr. צור, vbi porro ad *oppressionem* traducitur); hinc Coni. II. est *formauit*, quia formatio fit quasi colligando et digitis comprimendo, qua significatione quoque Chaldaei et Syri hoc verbo in Pael vtuntur. Notat autem inprimis *formationem pulchram et egregiam*, quare et GIEVHARIUS addit صورة *formauit eum Deus egregia forma*, et phrasin صبير *صبير* per *الصورة والشامة* *شبير* *pulcher et egregius forma ac figura*, interpretatur. Nomen itaque hoc nostrum Deum sistit, quatenus creando homini pulcherrimam eximiamque dedit figuram, vti et nonnunquam in Corano, e. g. Sur. LXIII, 3. homines pulchre a Deo creatos esse asseritur. Eandem significationem quoque hebr. צור habet, Ier. I, 5. vbi *Masorethae*, notionem hanc ignorantes, punctarunt צור ac si a rad. צר esset, et in margine annotarunt צור. Sed neque punctatione hac, neque annotatione opus est, si legatur צור, et statuatur, צור h. l. esse *formare*. Nomini huic المصوم etiam, quoad connotatum, fere simile aliud est, quod in precationibus reperitur, sc. *صانع* *artifex*, et *كل مصنوع* *artifex omnium artificiorum*. صنع enim non simpliciter *facere* et *parare* notat, sed *scite et venuste*, *egregie et summo artificio quid facere*.

Porro Arabes nomina habent, quibus Deum ceu creatorem nouae cuiusdam rei nec antea unquam visae insigniunt. Vocant eum الواجد *producentem*, a rad. وجد *produxit, fecit existere rem, quae antea non existerat*. Appellant eum المبدع a rad. بدع *incepit, inchoauit*, vnde et ad *productionem eiusmodi rei* refertur, quae quasi nunc demum *existere incipit*, ita vt antea nihil huic simile visum fuerit, quare المبدع est *eiusmodi rei nouae et mirandae conditor*. Sic Deus saepius in Corano, v. g. Sur. II, 118. dicitur المبدع السموات والارض *creator caelorum et terrae*.

Eadem notio inest nomini المبدئي *inceptor*. Radix بدأ vlt. Hamz. primarie significat: *rarum, pulchrum et singulare quid fecit, eoque ita incepit, vt primus id faceret*. Coni. III. idem. Deus itaque dicitur المبدئي, *qui rarum, pulchrum et singulare ac nouum quid facit*. Hebr. ברא ex Arab. explicari potest. Est enim *inuenit et finxit aliquid*, e. g. 1 Reg. XII, 33. vnde denique ad *mendacem* egregie fuit relatum.

Bibliothek der
Deutschen
Morgenländischen
Gesellschaft

Quum

Quum *Muhammed* in Corano saepius cum creatione resurrectionem mortuorum arctissime connectat, et ex illa quoque argumentum ducat, illum Deum, qui homines creauerit, eos etiam aliquando esse resuscitaturum, v. c. Sur. XXII, 5: ea statim adiungam nomina, quibus Arabes Deum RESUSCITATOREM A MORTUIS appellant. Eiusmodi nomen petunt a rad. عاد, quae notat: rediit (vnde hebr. עד testari, quia testis semper ad id, quod dixerat, redit illudque denuo confirmat); in Coni. IIII redire fecit, reduxit, restituit. Sic Deus المعيد restitutor vocatur, i. e. qui homines mortuos restituit et vitae reddit. Nomen hoc praecedenti المبيد fere vbiuis adiungitur. *Gieuharius* ad vocem بدأ duo loca, vbi vtrumque verbum de Deo adhibetur, ex Corano allegat; Sur. XXVIII, 19. vbi sic *πρωτογενος*: creauit eos primum, deinde resuscitabit eos post mortem; et Sur. LXXXV, 13. vbi hanc explicationem addit: creauit eos primum in mundo, quum nondum existissent (بعد العدم), deinde restituet eos viuos post mortem.

Idem valet البعث resuscitator. Verb. بعث primarie erigere, hinc excitare tum e somno, tum e morte indicat. Hinc dies extremi iudicii يوم البعث vocatur, quod *GIEUHARIUS* explicat: يوم القيامة dies resurrectionis.

Quod porro in Sacris litteris dicitur, Deum viuificare et morti dare homines, e. g. 1 Sam. II, 6. Deut. XXXII, 39. id quoque *Muhammed* de eo saepissime praedicat. Hinc orta duo nomina, quae Deo attribuuntur, الحي والمميت viuificans et morti tradens. Verb. حي proprie est: ruber fuit; hinc, quia rubor signum vitae est, vixit, et, quia pudorem rubor consequitur, pudore affectus fuit, erubuit. In Coni. IIII, cuius particip. nomen Dei fit, viuificauit, vita donauit, quod partim de creatione, partim de resuscitatione hominis intelligitur. المميت est a rad. مات mortuus est, in IIII, morti tradidit, interfecit. Verb. حي in IIII Coni. quoque de Deo dicitur, qui terram, quae antea quasi mortua erat, per pluuiam viuificat et reficit, Sur. XXXV, 5.

Sequuntur ea nomina, quae Dei laudant AETERNITATEM. Deducitur eiusmodi nomen a rad. praeced. حي, scil. الحي, viuus, vti et Deus in SSra saepe appellatur حي, Ios. III, 10. Ps. XXXXII, 3. LXXXIII, 3. et alibi.

Huic adiungo القيوم, quod subsistentem denotat. Verb. قام est stetit, substitit; hinc قيوم, subsistentem significat, et pecul. talem, qui



qui per se suaque essentia subsistit, eoque sensu de Deo, quatenus sempiternus est, cum Artic. אל האת' עֲצוֹחָהּ adhibetur. In precationibus quoque haec apostrophe ad Deum occurrit: يا قیوم لا یضعف o tu subsistens, qui non debilis es. Ibi etiam قائم eadem significatione frequentatur.

Nec minus celebria haec sunt: الاول et المقدم prior, الآخر posterior. الاول priorem notat, et, de Deo usurpatum, eum ita describit, quatenus ante omnia existit. المقدم cum Tesdid litt. Dal, quod est a rad. قدم, praecessit, prior fuit, Coni. II. idem, quoque eum designat, qui prior est s. praecedit. In Coni. II. alias semper hoc verbum transitivum est, sed et intransitivum Coni. I. significationem habet, licet GOLIVS putet, esse potius formam passivam. Sic enim nomen hoc in libris MSS. precat. arab. per Kesre litt. Dal notatum inveni, quod formam particip. ad. arguit. Ab eodem verbo قدم Arabes quoque Deum nominare solent القديم antiquum, s. principio carentem, aeternum, ut et Deut. XXXIII, 27. אלהי קדם et a Rabinis קדמון vocatur. Simili fere modo Danieli C. VII, 9. עתיק יומין. Et תיק יומין (cum Hamza litt. Vau, et Tesdid תֻּוּ Cha) Deo eatenus tribuitur, quatenus post omnium aliorum interitum superstes est. آخر, quod in Coni. I. non occurrit, in II. notat: posterior fuit et posteriorem fecit. Nomen الاول cum الآخر, et المقدم cum الموحتر coniungitur. BEIDAVIVS in Comment. ad Sur. LVII, 3. الاول sic interpretatur: السابق علي سائر الموجودات qui existit ante omnes res, et الآخر sic: الباقي بعد فنايها superstes post earum interitum. Eodem modo in SSra Deus dicitur ראשון ואחרון, e. g. Ies. XXXXVIII, 6. XXXXVIII, 12. quod in N. T. per τὸ Ἀλφα καὶ τὸ Ω exprimitur, v. c. Apoc. I, 8. XXI, 6. XXII, 13. vbi Syrus et Arabs simili ratione prima vltimaque littera alphabeti sui vtuntur. Sic enim ille: Ego sum Olaph et Tuu, et hic: Ego sum Elif et Ie, vertit.

Addo duo, quae aeternitatem Dei ita exprimunt, qua in omnia secula permanebit. Alterum est الباقي superstes. Verbum بقى proprie notat superstes fuit, mansit, permansit, vnde fortassis notio spectandi et respiciendi (quia, qui permanent et superstes sunt, ad alios l. abeuntes l. pereuntes quasi respiciunt) nata fuit, ut et Syr. حسا inuestigare, scrutari, probare valet. In Coni. IIII. notat: superstitem aliquem

aliquem esse fuit ex misericordia, neque eum perdidit. A verbo hoc deriuatur partic. Coni. I. **باق** *manens, permanens, superstes*, quo deinde cum Articulo **الباقى** *Deus aeternus* designatur. Ita et in precationibus Arabes Deum alloquuntur: **يا باق لا يغني** *o tu permanens ac superstes, qui non interibis.*

Alterum, quod cum priori semper coniungitur, est **الوارث**. Verbum **ورث** (hebr. **ורש**) proprie *possidere* est. In Scriptura S. plerumque solam *possessionis* notionem ipsi inesse cenfeo. E. g. si de terra Canaan, quam Israelitae occuparunt, verbum **ורש** vsurpatur, nullo modo de haereditate cogitandum est, sed nil nisi *possessio* et *peculium* indicatur. Deinde vero a *possidendi* notione ducta est notio *haereditatis*, et frequenter de haerede, qui in opum paternarum possessionem venit, adhibetur. Hinc GIEVHARIUS phrasin **وارث الرجل اياه** explicat: **ورث الشئ من ابيه** *intravit in opes patris*, i. e. haeres opum patris sui euasit. Hinc **وارث** est *haeres*, et deinde generatim (quia haeres post mortem patris sui superstes est) *post aliorum interitum superstes*. In posteriori significatione nomen Dei est, quando cum nomine praecedenti (quod in ordine *nominum praeslantiorum* fit) coniungitur. Quod si autem loca Corani, vbi occurrit, et vnde Arabes sine dubio nomen istud habent, confero, puto, illud verti posse per *dominum* et *possessorem*. Sic e. g. Sur. LVII, 10. dicitur; *Deo esse dominium* (**صيراث**) *caelorum et terrae*, vbi BEIDAVIUS sic commentatur: **يرث كل شئ فيها ولا يبقى لاحد مال** *Deus possessor erit omnis rei in illis* (caelis et terra), *et nulli manebunt opes* (sed Deus omnia recipiet et solus erit omnium dominus ac possessor). Eadem phrasis exstat Sur. III, 181. Sic quoque Deus Sur. XXI, 89. vocatur **خير الوارثين** *optimus dominorum*. Muhammedes autem haec ex illis SSrae locis hausisse videtur, vbi Christus (quem Pater omnium *κληρονόμον* constituit, Ebr. I, 2.) possessionem et dominium totius mundi a Patre accepisse, Pf. II, 8. et Israel I. coetus fidelium mancipium Dei dicitur, e. g. Deut. XXXII, 9. 1 Reg. VIII, 51. 53. Pf. XXVIII, 9. XXXIII, 12. et alibi.

Nunc de CELSITVDINE, GLORIA ET LAVDE DEI aliquid dicendum erit. Exprimunt eam sequentia nomina. Duo priora **العالي** et **المنعالي** deriuantur a rad. **علا**, quae vltim. *Vau altitudinem* et *celsitudinem quoad locum*, et med. **كفر**. *quoad gloriam ac nobilitatem* notat, quae duplex significatio etiam in VI. Coni. obtinet. Hinc Deus

dicitur **العالي** (quod nomen a Coni. I. deducitur) et **المتعالي** (quod particip. Coni. VI. est) *altus tum loco, tum gloria et dignitate*. Eodem sensu Muhammedani precantes vocant eum **العالي**, quae forma particip. Coni. I. est. Forma Superlatiui **الاعالي** *altissimus*, (quae in Lex. GOLII deest) Sur. LXXVIII, 24. LXXXII, 20. et LXXXVII, 1. (cuius titulum etiam constituit) de Deo vsurpatur. Solent quoque Arabes praeteritum Coni. I. **علا** et Coni. VI. **تعالي**, tanquam nomina Dei, subintellecto pronom. **الذي** adhibere, vti supra iam de verbo **عز** annotauimus, et infra quoque de **جل** obseruabimus. Eodem modo Rabbini Deum appellant **השם יתעלה** *Deum, qui tollatur ad caelum laudibus*, et **האל יתעלה שמו** *Deum, cuius nomen laudibus exaltatur*, vbi eadem pronom. **אשר** ellipsis exstat. Hinc Arabes, inprimis Lexicographi et Scholiastae, dictum Coranicum allegantes, dicunt **قوله تعالي** *secundum dictum Dei excelsi* (vti haec formula in Scholiis ad Carmen AL BORDAH, BEIDAVII *Commentario in Coranum*, MYSTAPHAЕ IBN MVHAMMED *Motaleb-al-alijab s. quaeestionibus excelsis* (f), aliisque quamplurimis frequentissime occurrit). In *Compendio Lex. Arab. Turc.* GIEVHARII saepius vsurpatur formula **قال الله تعالي عز وجل وعلا** *dixit Deus supremus, laudatus, gloriosus altissimusque*. Saepissime itaque nec Suram Corani (quam modo in *Lexico* GIEVHARII notatam nonnunquam vidi) nec versum, et saepenumero, vti et Rabbini solent in laudandis SSrae locis, prima tantummodo versiculi Coranici verba indicant, vnde difficillimum est, verba allegata, quae scire non raro ad intelligendas Arabum sententias multum interest, in tanto opere quaerere et inuenire. Optandum itaque esset, vt Concordantiae Corani exstarent, quarum ope singula verba in eo obuia sine vlllo negotio possent reperiri, vnde et alia non contemnenda utilitas in studium litterarum orientalium esset redundatura. Qua utilitate perspecta, ego et Amicus meus animum induximus, perlegendo Corano, eiusmodi indicem vocum eius concinnare, aliquando, si Deus voluerit et fauerint instituto, qui possint, edendum. Eadem, quae Arabico inest, duplici significatione s. potius connotato, quoque hebr. **עלה**, inprimis quando de Deo dicitur, gaudere existimo; videndum tamen

(f) MStum hoc, cuius describendi copiam nobis fecit Vir quidam Pl. Rev. in pago aliquo prope Lipsiam V. D. M. iam Clar. REHKOPF l. c. not. 2. p. 8. laudauit.

tamen est, vtrum connotatum huic l. illi loco contueniat. Sic Deus **עליון** Gen. XIII, 18. 19. 20. Pf. VII, 18. LXXIII, 11. et vti vult Cel. I. D. MICHAELIS, *de iudicandis linguae hebr. discendae rationibus*, p. 315. **על**, I Sam. II, 10. secundum Ctibh appellatur.

Subiungam his duo alia nomina, ex vna eademque origine nata, **الكبير** et **المتكبر**. Radix **كبر** in genere *magnitudinem* significat, tam *physicam corporis, aetatis, opum* (hinc *magnus, corpulentus potensque fuit, prouectae fuit aetatis, multas opes habuit*), quam *moralem excellentiae, nobilitatis gloriaeque* (hinc Coni. II. et III. *magnificet*), nec non *superbiae et elationis animi* (hinc Coni. V. *superbiuit*). Omnibus verbi sui significationibus gaudet nomen **كبير**. Sic hebr. **כביר** Iob. XXXI, 25. in *multitudinis* significatione, Iob. XXXIII, 16. Ies. XVI, 14. in notione *roboris et potentiae*, Iob. XV, 10. in significato *grandaeuitatis*, et Iob. VIII, 2. in notione *superbiae* vsurpatur. Arabes cum artic. de Deo in significato *excellenciae et honoris* adhibent, ita vt eo *Deus magnificentissimus gloriosissimusque* denotetur. Idem quoque signat alterum, quod forma particip. Coni. V. est, ex quo perspicitur, eam idem valere, quod Coni. I, scil. *gloriosum et excellentem esse*.

Radices **كرم** et **جل** alia eiusmodi diuina nomina suppedi-
tant. **كرم** proprie notat: *nobilis, eximius atque abundans fuit*, et vti GIEVHARIUS obseruat, oppositum est **لوم** (med. Hamz. et Damm.) *inglorius, ignobilis, illiberalis fuit*. Hinc nostrum: *generosus, liberalis, magnificus, honore dignus fuit*, ita vt ea generositate, liberalitate, magnificentia, et honore abundaret aliosque superaret. Coni. II. et III. eadem gaudent potestate. Inde **كريم**, quod cum artic. Dei nomen est, et, vera ac propria vi *abundantem* denotans, non modo oppositum est **لبيد**, et *generosum, liberalem magnificumque* significat, sed et speciatim idem est, quod **صنوح**, qui a peccatis *vultum auertit*, i. e. ea condonat, quod etiam signum est liberalitatis. In Corano haec vox saepissime occurrit, et Sur. LXXXVI, 3. forma Superlat. **الاکرم** *nobilissimus*.

Altera radix **جل** (vti hebr. **גלל**) primarie notat: *voluit*, vnde ad *magnitudinem*, quae physice ex conuolutione et compactione oritur, relata fuit. Dein significat, sicut verbum **عظم**, non modo *magnitudinem physicam corporis ac aetatis*, sed et *moralem*, quae in *eminentia*,

nentia, dignitate, maiestate cernitur. Iude originem trahit nomen جليل (quod cum Artic. coniunctum Arabes nominibus Dei annumerant), idemque notat, quod عظيم, magnum, speciatim *dignitate et maiestate*. Ab utraque radice كرم et جل Muhammedani inter nomina Dei pulcherrima referunt compositum quoddam نوالجلال و الاكرام habens *maiestatem et magnificentiam*. اکرام enim, quod Infinit. Coni. III. est, sed, vti omnes Infinitivi, loco Substantiui venit, *abundantiam, generositatem ac nobilitatem*; جلال *magnitudinem et maiestatem* significat. Ipsa haec radix جل occasionem mihi praebet adiiciendarum duarum obseruationum, quas praetermittere nequeo. Deducitur ab ea, et quidem in *voluendi* significato, nomen جلة, idem quod يعسر, scil. *stercus animalis globbosum* denotans. Hinc bene illustratur גללים 2 Reg. XVII, 12. q. d. *dii stercorei*. Ab eadem radice, in signific. *magnitudinis*, est nomen جلل, i. q. امر عظيم (sic GIEVHARIUS) *negotium magnum et graue*. Inde phrasis من جليلك e re tua, i. e. propter te, tui causa, quae hebraice בגלל exprimitur, e. g. Gen. XXX, 27.

Inter nomina ista praestantiora etiam reperiuntur المجيد et الماجد gloriosus. Verbum مجد notat: *laudabilis, laude et gloria dignus fuit talemque se praestitit*. Hinc partic. Coni. I. ماجد et nomen مجيد *laudabilis, gloriosus*. Ex hoc verbo deriuari et illustrari posset hebr. מנר praestantia, excellentia, quod speciatim de fructibus praestantioribus vsurpatur, Deut. XXXIII, 13. 14. 15. 16. Cant. III, 13. 16. VII, 14. I. C. CLODIUS tamen, in *Lex. hebr. select.* p. 302. putat, aptius cum eo conferri posse verbum مغد cum Gain, ita vt eo delicatus gratusque victus denotetur.

His duobus fere simile est المحبين (et in precat. محبون) *laudatus*. حمد *laudare* significat, vnde hebr. חמד (quia, quae laudantur, etiam appetuntur) *appetere, desiderare* est. Ab eodem verbo descendit الحمد *laus*, vnde Muhammedanis formula quaedam solennis est الحمد لله *laus Deo*. Ea quoque in initiis librorum suorum vtuntur (vti v. g. MVTAPHA IBN MVHAMMED in *Motaleb - al- alijab* supra laudatus), et, commemoratis quibusdam in laudem Dei, ad sequentia transeunt per formulam اما بعد i. بعد *praemissis praemittendis*. Ab hac rad. Muhammed (محمد) nomen suum accepit, quod

quod GIEVHARIUS ita interpretatur: **الذي كثرت خصاله** *al-dhi kathrat kh-sal-h* cuius virtutes laudabiles sunt permultae.

Restant duo nomina, huc commode referenda, licet in numero *nominum Dei pulcherrimorum* non habeantur. Alterum est **تبارك**, prae-
teritum Coni. VI, subintellecto pronomine **الذي**, *Deus, qui laudatus est.* **برك** proprie notat: *se demittere, humi procumbere, genibus flexis et capite in terram demisso, sine ullo motu prostratum iacere.* Sic hebr. **כרך** vsurpatur 2 Chron. VI, 13. Psalm. LXXXV, 6. et de camelis Gen. XXIII, 11. Hinc oritur significatio *colendi et laudandi Deum*, vbi nimirum homo, qui Deo laudem et honorem tribuit, genua flectere, faciem terrae admouere humique procumbere solet, demissi et modesti animi testificandi causa. Quod si de *Deo* vsurpatur, notat, *Deum se quasi in hominem demittere et quiescere super eo*, i. e. gratiam suam ipsi demonstrare eumque ornare et cumulare beneficiis. Hinc homo alteri verbis hisce: *Deus tibi benedicat*, bona apprecans, nihil aliud dicit, nisi hoc: *Deus in te se demittat et quiescat super te*, i. e. benefaciat tibi. Et Arabicum, vti hebr. **כרך**, non *bona precari* solum, sed etiam *tribuere* significat, quo sensu etiam graecum *εὐλογεῖν* saepe in N. T. ex Hebraismo accipitur. Coni. VI. passiva est, et dicitur tum *de homine, cui Deus quasi benedicat, bona ipsi largiendo*, tum *de Deo, cui homines supplices*, vt ita loquar, *benedicunt, eumque laudant ac celebrant.* Sic itaque nomen Dei fit, cui ex asse Iudaeorum formula **שם יתברך**, *Deus laudatus*, respondet. In V. T. Deus frequenter dicitur **ברוך** (etiam Rabbiniis, quibus et **הוא ברוך הקדוש** frequentatur) eodem sensu, quo in N. F. *εὐλογητός*, i. e. *dignus, cui laus et honor conferatur.* Alterum nomen est **سبوح** eiusdem valoris, quod cum Fatha et Kefre litt. Sin scribitur. Verbum **سبح** primarie est: *manus prorsum horsum mouere*, hinc, quia hic gestus est natantium, *natare*, et, quia quoque in Oriente gestus est precantium, *precari*, et, quoniam preces cultus et laudes Dei sunt, *laudare et celebrare* (quae vltima significatio etiam hebr. et chald. **שבח** competit). Hinc descendit forma haec augment. per Tefdid **سبوح** *laudatissimus et celeberrimus*; porro **سبحان**, quod proprie est *laus*, vnde **سبحان الله** *laus Dei, l. o laudem Dei*; quae est exclamatio Arabibus valde frequens. GIEVHARIUS formulam **سبحانك** explicat **انزهاك** *remouebo te ab hoc l. illo vitio s. imperfectione.* Hinc nomen

سبروح accipit significationem specialiorem, منزه remotus ab omni imperfectione et vitio, perfectissimus, vnde et idem est, quod قدوس sanctus. Ita haec formula in Corano saepissime cum من et عن construitur, e. g. Sur. XXIII, 93. الله عما يشركون laus Deo ab eo, quod ipsi (Christiani) de eo praedicant (scil. Deum filium habere), i. e. multo perfectior est Deus, quam vt hoc de eo possit praedicari. Eodem sensu تعالى v. 94. adhibetur عما يشركون altus est (Deus) ab eo, quod ipsi associant s. alligant (Christiani), i. e. nimis elatus est supra humanam imbecillitatem, multo perfectior est, quam vt in eum conueniat, quod ipsi adiungunt.

Deum, vt IUDICEM, exprimunt nomina duo: الحكيم et الفاتح. Vera et propria vis verbi فتح est laxum esse et laxum facere, vnde rem ligatam (e. g. vincula) laxam et remissam facere, solvere (quae notio vulgo non satis accurate ex aperiendi significatione deducitur). Hoc sensu hebr. quoque sumitur Gen. XXIII, 33. 1 Reg. XX, 11. Significatio posterior porro ad iudicium translata est, quo quasi nodus relaxatur et soluitur, ita vt notet: ius dixit eoque difficultatem, quae inter litigantes erat, soluit et dirimit. Ex hac iterum noua notio oritur iuuant, quia iudex illi, qui iustam causam habet, opitulatur. Deus itaque vocatur الفاتح iudex, qui decreto suo lites componit, eamque, qua nascebatur lis, soluit dirimitque difficultatem. A radice hac descendit nomen arab. فتح hebr. פתח, quod proprie est ostium tentorii, quod laxum est, et, si aperitur, mox rursus concidit. Sic hebr. פתח quoque de tentorii ostio occurrit Gen. XVIII, 1. 10. Exod. XXVIII, 4. 11. 32. 42. et alibi. Nomen hoc tandem de porta domus immobilis (vt ita dicam) vsurpatum fuit, vti omnes voces, ad domum relatae, a tentoriis, quae prima fuerunt hominum domicilia, desumptae sunt. Sic ipsum domus nomen בית hebr. בית proprie domum, quae moueri potest, i. e. tentorium, designat, in quo pernoctatur (a rad. بان pernoctauit). A nomine porro verbum accepit significationem aperiendi, deinde ad varias, quae hebraeo maxime competunt, deriuatas tractatam. Hinc etiam ea Arabica desumpta est, qua notat vincere, q. d. vi victoriae in regionem hostis sibi aperire viam. Significatus arandi et sulcandi, qua hebr. gaudet, statim bene ex prima verbi potestate deducitur; arator enim vomere terram reddit laxiorem.

Radix

Radix **ح** primam notionem habet *secandi et diffindendi*; hinc de iudice, *praecise decernere*, ita vt contra eius sententiam nihil amplius regeri possit. **ح** igitur *iudicem* designat *praecise decernentem*. Quia porro ad iudicium tale *sapientia* requiritur et *scientia*, fit, vt verbum quoque significatum istum receperit, vnde Deus **الحكيم** *sapiens, sciens* (quod nomen etiam inter *pulcherrima Dei nomina* refertur) appellari solet. Verbo huic nostro quoad significationem primariam et inde deductam priorem exacte respondet **قضا**, e. g. Sur. XV, 65. *decidere mandatum*, i. e. sic iubere, vt nemini contra mandatum quidquam asserre l. obicere liceat; et **قطع**, vti MvSTAPHA IBN MvHAMMED in *Motaleb-al-alijab* rationes et argumenta in libris diuinitus inspiratis adhibita vocat **السجج الغاطعة الالهية** *argumenta diuina decretoria* et ita comparata, vt nemo mortalium aliquid contra possit dicere.

De PROVIDENTIA ET PRAEDESTINATIONE DIVINA est nomen **القادر** *decernens, praedestinans*, quocum **المقتدر**, quod Deum *potentem* describit, quia ab eadem radice descendit, connectamus. **قدر** proprie est *secare*, vti et de veste *secanda* eaque ipsa *sektionem paranda* dicitur. Hinc notat: *rem aliquam determinare, desinire et dimentiri*, vnde ad *providentiam et praedestinationem* Dei, et porro ad *potentiam et robur*, quo ille, qui alteri portionem praebet et dimentitur, praeditus esse debet, refertur. Eadem significatio *praedestinandi et decernendi* in Coni. II. obtinet; VIII. autem notionem habet *potentiae ac roboris*. Hinc **القادر**, quod Partic. Coni. I. est, et **المقتدر**, quod in formulis precandi occurrit, et forma Partic. Coni. II. est, *Deum suo modo et ordine praedestinantem et unicuique portionem suam desinientem et suppeditantem* designat. **المقتدر** autem, quod Partic. Coni. VIII, vti et **قدير**, *potentem ac validum* notat. Obseruo hic, quod verbum hoc in Coni. II. Sur. XXV, 2. de creatione occurrat, vbi dicitur Deus omnem rem creasse et determinasse absoluta determinatione (**قدره تقديرا**). BEIDAVIVS duplicem suppeditat explicationem; altera haec est: *Deum disposuisse rem, quam creauerit, ad id, quod voluerit esse in ea de proprietatibus et operibus, quemadmodum adaptatio s. formatio hominis sit ad capacitatem et ad intelligendum et ad meditandum et ad dirigendam vitae rationem et ad subtiliter excogitandas artes diuersas et ad institutionem variorum operum etc.* altera haec: *Deum eam ita in creatione determinasse, vt subsiste-*

ret usque ad terminum decretum. Saepius etiam hoc verbo de *absoluto decreto et fato*, quod fortius inculcare solet, in Corano vitur Muhammed. Sic قدس notat: *quod a Deo ordinatum et decretum est, fatum*. Hinc nox illa, quae vna esse dicitur ex vltimis decem noctibus mensis Ramadhan, et quidem, vti plurimorum opinio est, septima a fine mensis, et in qua Coranus ex septimo caelo ad caelum Lunae simul demissus esse creditur, ليلة القدر nox decreti vocatur, quia, vti ZEMACHSCHARIVS asserit, Deus in ea omnes res ad mundi gubernationem per totum futurum annum spectantes decernit ac disponit. Agit de hac nocte Sura LXXXVII, cuius et nomen القدر est. Cf. MARRACCIUS et SALIVS in Not. ad hanc Suram.

Tria alia nomina sunt الوهاب, الرزاق, et المتعبت. وهب significat: *dedit, donavit*, vnde وهاب donator, largitor est. Vox amplissimae significationis est, et quaecunque dona designat. Arcioris autem est رزاق a verbo رزق, quod proprie *prodesse* notat, hinc largiri, donare, speciatim, *quae ad vitam sustentandam necessaria sunt*. Hinc رزق cum Kefre litt. Re, proprie, vti GIEVHARIUS explicat, ما ينتفع به cui inest utilitas, aliquid, quod prodest, fortuna, portio, donum, victus. Hinc رزاق largitorem denotat, spec. talem, qui de necessariis ad vitam prospicit. Dicitur et رازق eodem significatu, ita tamen, vt nostrum, quod forma augmentatiua est, significationem magis intendat. Verbum قات in I. Coni. est aluit, vnde قوت alimentum, s. vti GIEVHARIUS interpretatur ما يقوم به بدن الانسان من الطعام illud ex cibo, quo corpus humanum subsistit. In III. Coni. est: *potis et par fuit*. Hinc particip. المتعبت, quod omnipotentem et quoque inspectorem notat. Nomen hoc Deo tribuitur Sur. III, 84. quod GIEVHARIUS duplici modo explicat. Deriuari enim potest aut a significatione verbi in Coni. III, vt potentem designet et inspectorem, aut a nomine القوت, vt eum significet, qui cibo dato corpus humanum sustentat. Equidem putarem, notare eum, qui hominibus alimenta concedit solusque dare potest, ita vt Coni. III. ex prima specialiore accipiat significationem: *potis et par fuit homini alendo*.

الواسع Deum amplum et capacem denotat. وسع proprie valet: *amplus fuit*; hinc cepit et comprehendit rem eiusque capax fuit, diuitiis et opibus gausus

sus est immensus, potestate praeditus fuit hoc l. illud faciendi. Sic Sur. VII, 90. *scientia Dei*, et Sur. XXXX, 8. *misericordia et scientia Dei omnes res comprehendere dicitur*, ita vt omnia Deus sciat omniumque misereatur. *واسع* itaque proprie *amplum, late patentem et capace* notat, Deoque tributum, eum, ceu *omnia tum scientia, tum potestate, tum misericordia et benignitate comprehendentem*, depingit. Quarta huius verbi Coni., vti et hebr. *הרשיע*, *amplum reddere, ex angusto loco aliquem eripere et in amplo lateque patente constituere*, significat, vnde metaphorica *conseruandi et liberandi* notio, qua hebr. gaudet, orta est. v. Cel. I. D. MICHAELIS *de iudic. lingu. hebr. disc. rat.* p. 270 sqq.

غني in Coni. I. est *contentus fuit aliqua re, ita vt ea sibi sufficeret, nec ipse alia indigeret, diues fuit.* Hinc deriuatur nomen *الغني*, quo *diues, qui diuitiis, quas habet, contentus est, ita vt eae ipsi sufficiant, nec alia quacunque re opus habeat*, denotatur. Sic Deus dicitur, et quoque Sur. III, 97. XXVIII, 6. *غني عن العالمين diues sine creaturis* (quarum ope et cultu non indiget) appellatur. In III. Coni. verbum transitiuam significationem *dicto modo aliquem contentum reddendi et ditandi* habet, vnde et *Dei nomen est pulcherrimum المغني ditans, contentum reddens.*

كفي primarie notat: *fuit ei pro alio eiusque vicem expleuit; hinc: suffecit ipsi, ita vt omniam aliorum locum expleret.* Inde Deus *الكافي* dicitur, *qui sufficit, ita vt omnibus aliis praeter eum sine damno carere queamus.*

Progredimur tandem ad ea nomina, quae AMOREM ET MISERICORDIAM DIVINAM describunt. *الودود*, a. rad. *ود* *amauit*, notat *amantem*, et quidem, quod forma augment. requirit, *multum et valde amantem.* Hinc est hebr. *ידיד dilectus, ירדה et ירדת amor*, et, abiecta prima litt. rad. *רר* *amor, it. amicus.* Lexicographi Hebraei plerumque putant, verbo huic inesse significationem *iaciendi et proiiciendi*, et quoque loca quaedam ad eam stabiliendam afferunt, nim. Ioel III, 3. Thren. III, 53. Nah. III, 10. Obad. v. 11. Sed frustra. Omnia haec loca nihil probant. Nam *ירי*, quod ibi exstat, non est a rad. *ירר*, sed potius futur. Piel rad. *ירר*, pro *יררי*, vti Thren. III, 33. *ירר* pro *יררי* scribitur.

Non minus eximium et praecipuum Dei nomen est *الشكور*, quod in Lexico GOLII desideratur. Vt eius vis et potestas recte intelligatur, haec obseruo. Radix *شك* primariam *abundantiae et redundantiae*

notionem habet, ex qua tum omnes verbi ipsius, tum nominum, quae inde descendunt, significationes facile deriuari possunt. Ad duos imprimis deinde significatus relata fuit haec Radix nostra, scil. ad *abundantiam benignitatis et amoris*, praesertim *Dei erga homines, praemia et mercedem ipsis dando* (hinc hebr. שכר cum Sin, mercedem dedit, mercede conduxit) et ad *redundantiam gratiarum actionis et laudis ob beneficia accepta*. Denotat itaque tum *benignitatem maxime eximiam et copiosissimam, tum laudem gratiarumque actionem multam et singularem*. Ex quo apparet, שכור nostrum proprie *abundantem et multum* notare, ubi tum ad *hominem multas gratias agentem, tum ad Deum valde et mirifice benignum* refertur. Explicat hoc Dei nomen BEIDAVIVS ad Sur. LXIII, 18. sic: يعطي الجزيل بالتقليل donabit multum s. copiosum pro pauco illo (quod Arabes scil. Muhammedi erogauerint) et Sur. XXXXII, 23. sic: شكور لمن اطاع بتوفية التواب والنفضل عليه بالريادة Deus est liberalis erga eum, qui morem gerit, per plenariam remunerationem et egregiam liberalitatem ei abunde praestitam. Alias Deus quoque in Corano, Sur. III, 146. et in precationibus شاکر dicitur eadem significatione, quam tamen forma prioris augment. magis intendit.

Sequuntur nomina celebratissima الرحمن et الرحيم, miserator, misericors. Verbum رحم proprie notat: *mollis et tener fuit* (quam significationem quoque رحم possidet). Hinc de affectu tenerrimo l. amoris l. misericordiae usurpatur, et GIEVHARIUS nomina رحمة et رحمة per رقة misericordiam et benevolentiam, et per تعطف propensionem bene affecti animi, interpretatur. Verbum Syr. رده frequenter eiusmodi amorem designat, e. g. Matth. XXII, 37. 39. Ioh. XIII, 15. 21. in eaque significatione. hebr. רחם occurrit Pl. XVIII, 2. الرحمن et الرحيم igitur talem denotant, qui tenero animi affectu propitius est aliorumque miseretur. Vtrumque de Deo usurpatur; sic tamen, ut الرحمن Deo inprimis proprium esse videatur. Saepenumero enim solum et cum nullo alio (nisi cum الرحيم) coniunctum inuenitur. الرحيم autem semper cum aliis Dei nominibus connectitur. Nonnunquam, quod plerumque in inscriptionibus librorum fieri solet, ambo coniunguntur, eoque intenditur significatio, ita ut significet miseratorem misericors-

sericordem, i. e. valde misericordem. Sic capitibus Corani omnibus nomina haec iunctim praeposita conspiciuntur, excepta Sura VIII, cuius in ratione indaganda valde defudarunt Interpretes. Eam praefendam esse sententiam existimo, qua dicitur, Suras VIII et VIII antea vnam constituisse, quae deinde in duas partes diuisa fuerit, quo facile perspicitur, quomodo formula solennis *بِسْمِ اللَّهِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ* ei non praemissa fuerit. v. MARRACCIVM et SALIVM in Not. ad Sur. VIII. Cum his nominibus conferri potest hebr. **רחום**, quod in SSra de Deo praedicatur, e. g. Exod. XXXIII, 6. Pl. LXXVIII, 38. et Chald. **רַחֵם**, quod Talmudici etiam de Deo absolute et *נַח' עֲוֹנוֹתֵינוּ* solent usurpare.

Duo similia Dei nomina praebet verbum *غفر*, quod primarie est: *texit, obtexit*. Transfertur deinceps ad *condonationem*, qua peccata quasi obteguntur. Descendunt ab hac rad. nomina *غفار* et *غفور*, quae formae augmentatiuae sunt et *condonatore*, qui libenter condonat peccata, designant. Per Artic. **أل** restricta, nomina Dei constituunt, et in Corano frequentissime adhibentur. Alias quoque Deus *غافر* *condonans*, quod partic. Coni. I. est, vocatur, et nonnunquam cum additamento aliquo. Sic in precationibus *غافر الذنب* et *غافر السيئات* *condonans peccata* (quod posterius etiam Sur. XXXX, 3. exstat), Sur. VII, 155. *خير الغافرين* *optimus condonatorum*, et Sur. XXXXI, 42. *نو مغفرة* *praeditus indulgentia*, appellatur. Eodem modo in Sacris litteris *condonatio peccatorum* tanquam *obtectio eorum* describitur per verbum **כסה**, e. g. Prou. X, 12. XVII, 9. Neh. III, 37. Sic et **כפר**, quod proprie *tegere* est, ad *expiationem et condonationem peccatorum* relatum fuit.

Huic adiungo aliud, **العفو** (cum Tefd. litt. Vau), *multum condonans*. Radix **عفا**, vti Cl. REHKOPF l. c. not. 32. p. 15. recte obseruauit, primarie significat: *planum et aequabile reddidit*, et proprie de litteris sabulo inscriptis manuque superducta complanatis et deletis usurpatur, ita vt nullum amplius earum vestigium supersit. Hinc transfertur ad *condonationem*, qua peccata quasi complanantur, obliterantur, delentur, sic vt nulla eorum supersit memoria. GIEVHARIUS phrasin **عفي عن ذنبه** explicat: **ولم يعاقبه وتركه** *missum fecit eum, nec eum puniuit*. Hinc forma deducitur augmentatiua, quae nomen Dei efficit **العفو**, i. e. **الكثير العفو** *multus condonatione*.

Agmen

Agmen tandem nominum horum (cetera enim, quae restant, alio fortassis tempore pertractanda, legem Societatis nostrae iam transgressus, referuare cogor) claudat **التنواب**, *propitius*. Verbum **ناب** notat: *se conuertit ad aliquem*, vnde de homine vsurpatum, *poenitentiam et respicientiam*, de Deo, *benignitatem et amorem*, quo ad hominem quasi se conuertit, designat. Lexicographi Arabes adhuc addunt posteriori significationi notionem *poenitentiae hominis promouendae*. Sic GIEVHARIUS phrasin **ناب الله عليه** interpretatur: **وفقه للتوبة** *direxit eum ad poenitentiam, fecit, vt eius respicientia bene cederet*. Deus itaque vocatur **التنواب**, i. e. *qui se benignitate et amore ad hominem conuertit ipsique propitius est et eius poenitentiam promouet*. Pari modo hebr. **שוב**, vsitatissimum de homine ad Deum se conuertente et respiciente, etiam de Deo ponitur in significatu amoris et benignitatis, e. g. Zach. I, 3.

Illud ipsum nomen me admonet, vt ad finem Scriptionis me conuertam, et ad TE, DOCTISSIME FRANZI, redeam. Nihil superest, nisi vt officio mihi demandato rite defungar, et TIBI, VIR CLARISSIME, tum Societatis nostrae, tum meo nomine, quod lubentissime facio, acceptos honores gratuler, nostramque, quam exinde capimus, tester laetitiam. Praemio tanto iam dudum digna fuit ea, qua bonis litteris operam dedisti, industria, ea, quae TIBI inest, eruditio. Animo quoque praecipimus, nouum hunc honorem eximum mox insequuturos esse alios maiores et largiores, quibus ornatus magna cum laude ad Ecclesiae emolumentum transfères, quae TIBI parasti, litterarum praesidia. Quod euenturum eo minus dubitamus, quo magis TVA fides et pietas nobis est perspecta; immo eo certius speramus et confidimus, quo firmiter persuasi sumus, diuinam gratiam responsuram esse votis, quae pro salute, incolumitate et felicitate TVA indefesso studio nuncupamus. Ita valeas et TVAE amicitiae, qua nihil suauius nobis est, nihil antiquius, nos habeas commendatos.







D: Le 1075

ULB Halle

3/1

000 874 167



